



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Canisius Kemnatio respondet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

posse tantum lucis in tenebris Germanicis. Timere regno suo, ideòque in odium omne conari trahere, quos infestos experiretur. Existimabat Præpositus Lainius optimam esse rationem maledicta eiusmodi refutandi illustrem rectè factorum constantiam, quemadmodum fideles olim Apostolorum Princeps alloquebatur: Sic est voluntas Dei, vt benefaciētes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Tamen, quia ad simplicium oculos longè positorum penetrare exempla vitæ non poterant, faciendum Canisio putavit, vt Germanico sermone modestam apologiam, nec apposito nomine suo, (quoniam erat commendanda societas) euulgaret: quod ille sedulò præstitit. Latinam autem subindè defensionem Iacobus Paiua natione Lusitanus doctam, ac piam emisit. Canisius in his, quas diximus, apud Cæsarem curis magnam ætatis partem Oeniponti egit: nec interim parcebat laboribus aliis, ad concionem non rarò dicens, ac domi (namque Collegium iam adolefcebat) forisque pietatem incendens. Aderant Oeniponti quinque Cæsaris filix virgines (Reginas vocabant) grandiorum ex iis, quarum duæ postea Florenti-

*Optima ratio  
refutandi ca-  
lumnias,*

*Canis. Remissio  
suo responderet.*

*Additamenta  
eius laborum  
Oeniponti*